

Philadelphiensis, Carolopolitanus, Richmondensis et Pittsburgensis.

Deinde consenserunt Patres de Nationali Concilio Baltimori anno 1852, si Sanctæ Sedi visum fuerit, celebrando.

PRIMA CONGREGATIO PUBLICA.

DIE 7 Maii, horâ quartâ P. M. habita est prima Congregatio publica in Ecclesiâ Metropolitanâ.

Præfuit Illm̄us ac Revm̄us D. Archiepiscopus Baltimorensis: aderant Episcopi suprâ memorati, Secretarii et Theologi.

Invocatâ S. Spiritûs assistentiâ per Ant. *Veni sancte Spiritus, etc.* Revm̄us D. Archiepiscopus plurimum Theologorum sententias circa Immaculatam Bm̄æ Virginis Mariæ Conceptionem exquisivit; quâ scilicet devotione populus Fidelis erga illam sit animatus, quodnamque desiderium esse videatur ut ab Apostolicâ Sede, tanquàm Ecclesiæ Catholicæ doctrina definiatur ejusdem Bm̄æ Virginis Conceptionem ab Originali labe fuisse prorsûs immunem.

SECUNDA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 8 Maii, habita est secunda Congregatio privata eodem loco, horâ et modo, quibus prima. Aderat Illm̄us ac Revm̄us D. ANDREAS BYRNE, Episcopus *Little-Rock*, qui aperto jam Concilio advenit.

Patribus expedire visum est preces SS. Pontifici porrigendas ut nova Sedes Episcopalis erigatur in urbe *Savannah*, quæ ditione suâ complectatur Statum Georgiæ, necnon et Floridam usque ad flumen Apalachicolam.

Postulante Revm̄o D. Episcopo Neo-Eboracensi, censuerunt Patres supplicandum S. Sedi ut Coadjutor detur Revm̄o D. GULIELMO TYLER, Episcopo Hartfordensi, ob ejusdem valetudinem minùs firmam.

SECUNDA CONGREGATIO PUBLICA.

EODEM die 8 Maii, habita est secunda Congregatio publica, ut heri.

Discussio scilicet quæstionum privatis Theologorum Congregationibus propositarum continuata est.

TERTIA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 9 Maii, habita est tertia Congregatio privata, ut heri.

Censuerunt Patres S. Sedi supplicandum ut nova Sedes Episcopalis Savannæ erigenda, Archiepiscopo Baltimorensi subjiciatur.

Revm̄us D. Archiepiscopus, probantibus Patribus, munus varias Epistolas scribendi demandavit Revm̄is Episcopis infrâ memoratis, nempe:

Ad Summum Pontificem, latinè, Revm̄o D. Episcopo Pittsburgensi;

Ad clerum et populum, nomine Patrum Concilii, anglicè, Revm̄o D. Episcopo Philadelphensi;

Ad Societatem de Propagandâ Fide Lugduni, gallicè, Revm̄o D. Episcopo Mobiliensi;

Ad Societatem Leopoldinam Viennæ, latinè vel germanicè, Revm̄o D. Episcopo Milwauchensi.

## TERTIA CONGREGATIO PUBLICA.

EADEM die 9, habita est tertia Congregatio publica, ut heri.

## SESSIO SECUNDA.

DIE 10 Maii, horâ nonâ, post sacrosanctum Missæ Sacrificium pro Episcopis Fœderatæ Americæ Statuum, qui ab ultimo Concilio ad hanc usque diem è vitâ discesserunt, in Ecclesiâ Metropolitanâ à Revmō D. Episcopo Mobiliensi, altero ex Promotoribus Concilii, solemniter celebratum, concionem habuit Revmūs D. PURCELL, Episcopus Cincinnatiensis: quâ finitâ, Absolutionem solemnem ad Castrum doloris fecit Revmūs D. Archiepiscopus Baltimorensis. Deinde, postquàm Revmī DD. Episcopi pluviale induissent, habita est Sessio secunda, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam.

## QUARTA CONGREGATIO PUBLICA.

EADEM die 10, horâ quartâ P. M. habita est quarta Congregatio publica, in quâ Theologi, de more, retulerunt de quibusdam negotiis in Concilio tractandis, ipsorumque disquisitioni commissis.

## QUARTA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 11 Maii, quarta Congregatio privata habita est eodem loco et horâ, quibus prima.

Revmō D. Archiepiscopo Baltimorensi proponente, unanimi Patrum acclamatione, statutum est

collectas in omnibus et singulis Fœderatorum Statuum Ecclesiis hoc anno esse faciendas die Dominicâ infra Octavam festi SS. Apostolorum Petri et Pauli, die scilicet 1 Julii; hancque Christifidelium gratiam Summo Pontifici transmittendam, in testimonium amoris ab observantissimis filiis oblatam optimo Patri tot tantisque procellis jactato, amaritudinibusque repleto.

Censuerunt Patres supplicandum S. Sedi, 1. pro erectione novæ Sedis Episcopalis in Oppido *Wheeling*, in Statu Virginiae, quæ constet ex omni illâ ejusdem Statûs parte quæ ultra montes Alleghanios, Occidentem versûs jacet, incipiens à Comitatu *Randolph*, unâ cum Comitatibus *Pocahontas*, *Greenbrier*, *Monroe*, *Giles*, *Montgomery* et *Floyd*, usque ad Comitatum *Carroll*, inclusivè.

2. Ut nova Sedes Episcopalis erigatur in Oppido S. Pauli, in Territorio *Minnesota*, quæ idem Territorium suâ ditione comprehendat.

3. Ut Vicarius Apostolicus pro Territorio Neo-Mexicano eligatur, qui Episcopali consecratione decoretur.

## QUINTA CONGREGATIO PUBLICA.

EADEM die 11 Maii, horâ quartâ, habita est quinta Congregatio publica, ut heri.

## QUINTA CONGREGATIO PRIVATA.

DIE 12 Maii, horâ nonâ, habita est quinta Congregatio privata.

Latam est Decretum 1, *De Americani cleri popu-*

lique fidelis devotione erga Immaculatam Bmæ Virginis Mariæ Conceptionem.

Decretum 2, *Quid scilicet sentiant Patres de Immaculatâ B. V. M. Conceptione definiendâ tanquam Ecclesiæ Catholicæ doctrinâ*, latum est, uno ex Patribus, nempe Revmo D. Episcopo Richmondensi, dissentiente.

Deinde lata sunt Decreta 3, 4 et 5.

#### SEXTA CONGREGATIO PRIVATA.

EADEM die 12, horâ quartâ P. M. habita est sexta Congregatio privata in ædibus Archiepiscopalibus.

Statuerunt Patres supplicandum S. Sedi, 1. ut nova Diœcesis in *Wheeling* erigenda, ad Provinciam Baltimoreensem pertineat; Diœcesis autem S. Pauli, in Territorio *Minnesota*, Metropolitæ S. Ludovici subdita sit.

2. Ut Territorium in Fœderatis Statibus, Orientem versùs Saxosorum Montium (*Rocky-Mountains*) jacens, nec intra limites Statuum *Arkansas*, *Missouri*, *Iowa*, nec in Territorio *Minnesota* inclusum, in Apostolicum Vicariatum erigatur.

Visum est Patribus expedire ut ad summum Pontificem scribatur de novis Sedibus Archiepiscopalibus et Episcopalibus erigendis, idque negotii datum est Revmo D. Episcopo Natchetensi.

Deinde latum est Decretum 6.

Postquàm Revmus D. Archiepiscopus Baltimorensis abcessisset, Revmo D. Archiepiscopo S. Ludovici præsidente, alteroque ex Promotoribus proponente, statutum est gratias quamplurimas, nomine Concilii, Revmo D. Baltimorensi Archiepiscopo agendas pro humanitate, comitate et hospitalitate,

quas durante Concilio Patribus exhibuit, necnon et dignitate ac sapientiâ quibus eorum deliberationibus præfuit.

Demùm Revmo D. PORTIER, Episcopo Mobiliensi, à Patribus cura demandata est ad Summum Pontificem deferendi hujus Concilii Acta et Decreta; cui simul significet quàm vehementer animo angantur Americani Præsules de ipsius ærumnis ac exilio, quippe qui doleant de atrocissimis injuriis S. Sedi Apostolicæ irrogatis, tanquàm sibimet ipsis in personâ supremi omnium Pastoris illatis, seque toto corde Deum precari ut respiciat in Christum suum, ac tot tantisque malis mederi dignetur.

Rogatus est etiam idem Revmus D. PORTIER ut, nomine Patrum Concilii, gratias agat Societati de Propagandâ Fide Lugduni pro hactenùs collatis donis et beneficiis, ejusdemque Societatis Moderatoribus exponat quot et quanti utilitatis fructus ex hujusmodi beneficiis jam percepti sint, et in futurum sint certè percipiendi.

#### SESSIO TERTIA ET ULTIMA.

DOMINICA quintâ post Pascha, die 13 Maii, horâ verò 10 A. M. post Missam solemnem à Revmo D. Archiepiscopo Baltimorensi celebratam, concionem habuit Revmus D. Episcopus Neo-Eboracensis. Tum aperta est Sessio tertia et ultima, servatisque omnibus quæ in Pontificali Romano et Cæremoniali pro hisce Provinciis approbato præscribuntur, ritè perfecta est et absoluta.

ED. DAMPHOUX, S. T. D. *Secr.*

FR. LHOMME, *Secr.*

## ACCLAMATIONES.

*Archidiaconus.* Soli sapienti Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.

*Chorus.* Honor et gloria in sæcula sæculorum. Deus Optimus Maximus, qui cœpit in nobis opus bonum, et incrementum dedit, ipse perficiat.

*Archid.* Beatissimæ Virgini Mariæ, sine labe originali conceptæ, harum Provinciarum Patronæ, honor æternus.

*Chorus.* Honor æternus: fecit ei magna qui potens est, ideoque beatam dicant eam omnes generationes.

*Archid.* Beatissimo Pio Papæ et Domino nostro, sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni et diuturna prosperitas.

*Chorus.* Impleat Dominus omnes petitiones Sanctissimi Patris, et ita omne consilium ejus adversus inimicos Christi confirmet, ut ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, et sicut deficit fumus, deficiant.

*Archid.* Venerabilis Gregorii Decimisexti animæ pax in Domino, et æterna felicitas in luce sanctorum.

*Chorus.* Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est.

*Archid.* Revmo Dño Archiepiscopo Baltimorensi, hujus Concilii præsulì, cum multis annis magnæ gratiæ.

*Chorus.* Magnæ gratiæ: Dominus retribuat ei, et eum in multos annos Ecclesiæ suæ conservet.

*Archid.* Revms Dñis Episcopis, qui in hoc Concilio convenerunt, magnæ gratiæ, et felix ad Ecclesias suas reditus.

*Chorus.* Deus mittat eis auxilium de sancto, et de Sion tueatur eos.

*Archid.* Episcopis et Presbyteris harum Provinciarum, qui bonum certamen certantes, obdormierunt in Domino, sors inter sanctos.

*Chorus.* Reddat illis Dominus pro operibus ipsorum, et plenam mercedem recipiant à Domino Deo.

*Archid.* Fidelibus Provinciarum nostrarum, universoque populo Christiano, pax à Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.

*Chorus.* Benedictio Dei super eos: ut quâlibet perturbatione submotâ, quietam et tranquillam vitam agentes, liberis mentibus Domino deserviant.

*Archid.* Nos autem, ad diversa licet loca discedentes, occurramus tamen omnes in unitatem fidei; ut unanimes, idem sapientes, eandem charitatem habentes, ad omne opus bonum parati, promissam Fidelibus servis mercedem consequamur.

*Chorus.* Amen, amen.

## DECRETA CONCILII.

I. **P**ERLECTIS litteris Encyclicis Summi Pontificis PII IX, quibus significavit se vehementer optare ut Episcopi totius Catholici orbis per litteras ipsi referrent quâ devotione clerus populusque fidelis erga Immaculatæ Virginis Conceptionem sint animati; Patribus omnibus visum est respondere clerum populumque fidelem, in Fœderatis Americæ Statibus, magnâ flagrare erga eandem devotione.

II. Censuerunt pariter Patres Summo Pontifici significandum, gratum sibi fore ut veluti Catholicæ Ecclesiæ doctrinam definiat, si id sapientissimo suo iudicio opportunum existimet, Beatissimæ Virginis Mariæ Conceptum Immaculatum omninò fuisse, atque ab omni prorsùs Originalis culpæ labe immunem.

III. Visum est Patribus Sacerdotum ad Episcopalem dignitatem evehendorum commendationem faciendam esse juxta morem jam ab Apostolicâ Sede sancitum: Archiepiscopo tamen Provinciæ ad quam pertinet Ecclesia de novo Pastore providenda, Sacerdotum qui proponuntur commendationem ad ceteros Archiepiscopos transmittente, qui Sanctæ Sedi suam sententiam aperient de Sacerdotibus sic commendatis.\*

IV. Statuerunt Patres Ecclesias omnes, ceteraque bona Ecclesiastica, quæ vel dono, vel Fidelium oblationibus acquisita, in charitatis vel religionis operibus sunt impendenda, ad Ordinarium pertinere; nisi appareat, scriptoque constet, illa Ordini alicui Regulari, vel Sacerdotum Congregationi, in ipsorum usum, tradita fuisse.

V. Statuunt Patres nullum harum Provinciarum Sacerdotem, ad aliam diœcesim transire volentem, à proprio Episcopo dimittendum, nisi certò constet eum ab alio Episcopo esse recipiendum. Si qui autem in posterum aliter dimissi fuerint, non recipiantur.

VI. Strictè prohibemus ne Sacerdotes matrimoniis eorum qui jam ab acatholico Ministro vel conjuncti sunt, vel conjungi volunt, interesse præsumant.

\* S. Congregationis de Propagandâ Fide Decretum de eâ re reperietur infra.

VII. Peroptandum videtur Patribus, quò meliùs et faciliùs religionis commodis et utilitati in hisce Provinciis consulatur, ut Nationale Concilium, Apostolicæ Sedis auctoritate, anno 1850 Baltimori habeatur.\*

† Ego SAMUEL, *Archiep. Baltimorensis, definiens subscripsi.*

† Ego PETRUS RICCARDUS, *Archiep. S. Ludovici, definiens subscripsi.*

† Ego MICHAEL, *Episc. Mobiliensis, definiens subscripsi.*

† Ego FRANCISCUS PATRITIUS, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES BAPTISTA, *Episc. Cincinnatiensis, definiens subscripsi.*

† Ego ANTONIUS, *Episc. Neo-Aureliæ, definiens subscripsi.*

† Ego MATHIAS, *Episc. Dubuquensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES, *Episc. Neo-Eboracensis, definiens subscripsi.*

† Ego RICCARDUS PIUS, *Episc. Nashvillensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES JOSEPH, *Episc. Natchetensis, definiens subscripsi.*

† Ego RICCARDUS VINCENTIUS, *Episc. Richmondensis, definiens subscripsi.*

† Ego PETRUS PAULUS, *Episc. Zelanus, Coadjutor Administrator Detroitensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES MARIA, *Episc. Galvestonensis, definiens subscripsi.*

\* Huic Patrum voto SSm̃us Dñus Noster benignè annuit, indulsetque ut anno 1852 Nationale Concilium Baltimori celebretur. Suo verò tempore, litteræ Apostolicæ tradentur cum designatione etiam personæ quæ, nomine S. Sedis, Nationalis Concilii præsidentiam gerat.